

Sturm:
Tringto-
litudine
juridica
ejusque
paenit.

1754.



10 Sturm, Joh. Gottlieb. Gottlieb

MEDITATIO
MORALIS - JURIDICA
DE
INGRATITUDINE JURIDICA
EJUSQUE POENIS:
von
Bestrafung der
Juristischen Undankbarkeit.

P 513.
VIRGILIUS:

Discite justitiam moniti et
non temnere divos.

SVERINI, ANNO MDCCCLIV.

LITERIS BÆRENSPRUNGIANIS.



ALL'

ILLUSTRISSIMO ED ECCELLENTISSIMO
SIGNORE,

IL SIGNORE
CARLO FEDERICO
CONTE DI BASSEVVITZ

Ministro di Stato e Consigliere segreto del Serenissimo
Principe regnante di Meclenburgo, Consigliere di Camera
feudale, Presidente e Direttore della Cancelleria
Ducale di Sverino, Ereditario di Pröbrow.

MIO SIGNORE E CONTE
CLEMENTISSIMO,

Illustrissimo ed Eccellentissimo
Signore,



Sentomi costretto per la natura stessa, di venerar
nell' ILLUSTRISSIMA PERSÒNA di VOSTRA EC-
CELLENZA non solament' il Splendore, il grado
e l' Altezza, mà insieme un' Umanità senza pari, una Sa-
viezza grandissima, e le più singolari virtù. Può dunque
V. E. già imaginarsi, non havermi commosso una cieca
adulazione del di LEI splendore, del di LEI grado, della
di LEI Altezza, mà bensì il distinto conoscimento della
di LEI umanità, della di LEI Saviezza, delle di LEI virtù,
a proporre L'ILLUSTRISSIMO NOME di V. E. a queste pagi-
ne


ne, ed a renderle per questa cagione famose. Non farò
jo dunque frà quei Scrittori computato, le di cui Dedica-
zioni hanno un fine biasimèvole, che più colla cieca
adulazione ed animo abjetto, che con una sincera stima e
riverenzia, le loro Scritture dedicano ai più celebri Uomi-
ni. Il mio solo fine, ILLUSTRISSIMO SIGNORE! è di mo-
strar umilissimamente, a V. E. per queste lettere, la mia
sincera divozione e riverenzia verso di LEI, e di render
insieme VOSTRA ECCELLENZA persvasa, pregar Jo sempre il
supremo Nume, ch' a LEI renda ogni maggior Conten-
tezza e prosperità, e che conservi V. E. fin ai più attem-
pati anni. Così viva sempre felice V. E. ed agradiſca
quel divotissimo ardire, del

Di Vostra Eccellenza

Di Sverino

Li 20 di Luglio 1754.

amillissimo e divotissimo Servo
**GIOVANNI, GIOACHIMO, GOTTHARDO
STURM,**



I. N. J.

§. I.

Instituti Ratio.

Inter querelas istas aceras quæ, a mortalibus quotidie contra mortales exaudiuntur, primum fere locum tenet illa, quæ atram his temporibus inculpat hominum ingratitudinem. Quocunque Te conferas, & in publicis & in privatis conventibus, & amicos inter & inter extraneos, & inter infimi ordinis, & summæ dignitatis homines, erunt semper, qui de accrescente in dies hominum ingratitudine queruntur, & ita queruntur, ut odiosis suis querelis simul omnem e societate tollant hilaritatem. O! si isti tristitia & Melancholia dediti, potius de sua ipsorum erga supremum Numen ingratitudine quererentur, O! si prius veram ingratitudinis, veramque benefactoris addiscerent notionem, quam de fama & moribus aliorum detraherent. Certe enim plerique imo fere omnes, qui tam acerbe queruntur, quid sint beneficia vera, quid sit ingratitudo vera, ignorant, creduntque beneficiorum se plurima jam præstitisse, si certis nexibus, certis finibus secundariis, qui magis proprium commodum sapiunt quam virtutem, adducti alicui benefecerunt. Sed, ne pro vitiis verba facere videamur, concedimus

A

quoque

quoque ambabus, quandoque veros inveniri ingratos, qui sinceritatem benefactoris erident, acceptorum beneficiorum memoriam deponunt, & remunerationis loco benefactori damnum, injuriam audeoque mortem conciliant. Hi omni jure inutilia terrae pondera dicuntur, hi societatem humanam violant, hi leges tam divinas, quam humanas, transgrediuntur, hi turpissimum omnium vitiorum vitium, ut cum Cicerone loquar, committunt. Ac, ne istorum malitia omnem Reipubl. evertat salutem, Legislatores humani, non impunitam voluerunt esse eam ingratitudinem, qua quies publica, quaque officia perfecta laeduntur. Cum igitur in jure nostro civili variae, ejusmodi leges reperiantur, earum plurimas quantum fieri potuit, colligere, indeque poenas ingratitudinis ob oculos ponere, operam navavimus.

§. II.

Quid Ingratitudo philosophice considerata.

De ingratitudine juridica acturi tantum abest, ut Jctum ingratum esse posse defendere velimus, ut potius in ingratum a legislatoribus varias poenas esse constitutas, contendere apud animum constituerimus. Ne autem ingratitudinem Juridicam cum philosophica videamur confundere, prius pauca de ingratitudine philosophica admonere necesse putamus. Oppositorum, cum opposita dicatur esse ratio, eo clarus quid sit ingratitudo apparebit, si primo ad gratitudinem animum attenderimus. Hanc vero esse amorem illum, quem habemus erga benefactorem, propter sua in nos collata beneficia, communis omnium est opinio (a). Cum ita Doctoribus Juris naturae gratus is dicatur, qui eum, a quo beneficia accepit, rursus amandi & perficiendi cupidus est, certe res erit nullius negotii ingrati faciem depingere. Est enim ille ejusmodi turpis conditionis homo, qui neglectis beneficiis, benefacto

factorem suum non amat. Et quid ita aliud ingratitudo esse potest, ac defectus amoris beneficarii erga benefactorem?

(a) DARJESI Institution. Jur. natur. §. 290.

§. III.

Ingratitudo hujusmodi in foro externo puniri non potest.

Ex juris naturae principiis, iam satis superque constat amorem, cum mediante judicio quodam oriatur, extorqueri non posse. Cum vero gratus animus in amore erga benefactorem consistat (vid. §. II.) ad illum quoque neminem externe cogi, vel armis deposci posse nonminus appetet. GROTIUS l. c. (b) ita scribit: *Qui beneficium dedit, nullum habet jus ad reposcendam gratiam: alioquin Contractus esset non beneficium.* Quodsi ergo quis hocce humanitatis officium exueret eaque ad quæ, imperfecte saltim obligatus, parum conscientiae curans omittat, ille ingrati quidem erit nomine dignus, sed non poena externa. Punire enim in foro humano significat nil aliud, ac eum, qui leges, ad quas perfecte fuit obligatus, violavit, malis consectariis adficere. Iam vero cum audiverimus, ingratum non leges perfectas sed tantum imperfectas violasse, quitl clarius quam quod ille in foro externo puniri non possit. Non enim nobis hic sermo est de foro interno, in quo quidem omnia vitia puniri scimus, cum saltim malam conscientiam, metum & poenitentiam aliaque mala consectaria secum connexa habeant.

(b) GROTIUS de Jure Bell. ac. Pacis lib. II. Cap. 22. §. 16.

§. IV.

Definitio ingratitudinis Juridicæ.

Hactenus generaliter, quid secundum jus naturae de gratitudine & ingratitudine sentiendum sit, brevibus perspeximus.

A 2

Jam

Jam igitur ad ipsam rem, de qua agere constituimus, pervenimus. Dari & in sensu juridico ingratitudinem, quotidiana proh! dolor experientia satis confirmat; cognoscere itaque eam operae videtur pretium esse. Ponimus vero illam in omissione illorum officiorum erga benefactorem, ad quæ quis cogi potest, quæque in legibus præscripta, sive in lassione benefactoris legibus civilibus vindicata. Non enim jurisprudentia nostra, internæ justitiae seu conscientiæ rationem habet, nec circa officia imperfecta versatur.

§. V.

Differentia Ingratitudinis pariter ac gratitudinis juridicæ & philosophicæ.

Toto ut ajunt coelo a se distare Ingratitudinem philosophicam & juridicam, ex ipsa definitione accuratius considerata, apparet. Nobis brevitati studiosis, attigisse quasdam solum differentias utriusque ingratitudinis, sufficiet. Philosophicæ nimirum eam esse conditionem demonstrat §. II. ut in poenam quampliam externam non incurrat, sed juridicam utique puniendam esse non solum leges civiles affirmant (c), sed & ex ipsa definitione elucet. Cum enim ista violet leges perfectas, harum vero violatio malis sit adficienda conjectariis, (§. III.) sequitur, quod etiam punienda sit. Deinde ingratus philosophice, & ingratus juridice consideratus ita differunt, quod ille tantum forum internum sive conscientiæ, hic nonsolum internum sed & externum, violet, quod ille in foro civili adhuc gratus, non autem hic in foro naturali ita dici queat. e. s. p. Sic quoque summam differentiam inter gratitudinem philosophicam & juridicam intercedere, ex hactenus dictis consequitur. Ius etenim naturæ, quidem gratitudinem præcipit, sed eam vi & armis a nemine depositit, cum fundamentum ejus

ejus sit amor, qui extorqueri haud potest, atque hinc ad officia imperfecta spectat. Ad gratitudinem vero juridicam, quam in observatione ponimus illorum officiorum, que quis benefactori suo perfecte, quin plerumque secundum leges præscriptas, debet, quin cogi possimus, nullum habet dubium. Imposuit namque beneficiariis, JUSTINIANUS noster, varia passim in legibus officia, quibus gratum suum erga benefactorem animum indicare debeant. Sic ergo in jure nullo alio ex capite, quam ex capite gratitudinis & reverentia naturalis, liberis imponitur, ut ad sponsalia & matrimonia necesse consensum parentum requirant. (d) Quænam porro causa inducere Imperatorem potuit nostrum, ad concedendum Parentibus, Patronis, Donatoribus beneficium competentiam, id est, ut in executione tantum iis sit relinquendum, ex quo adhuc vitam vivere possint? (e) Hæc certè eum impulit, ut qui beneficia acceperunt, illi acceptorum beneficiorum ne prorsus obliviscerentur, sed potius saltim quoddam signum erga benefactorem gratitudinis indicent. Ad quid demum aliud, quam ad gratitudinem respexit Imperator, cum libertis filii que personam patris vel patroni semper esse sanctam voluerit, cumque libertis certa officia Patrono præstanda imposuerit? (f) Atque sic plures gratitudinis species in Legibus passim determinatae, licet non semper vocem gratitudinis inveniamus, allegari possent; sed sufficiant hæc pauca, pro Instituti ratione. Exinde ergo apparet, posse omnino aliquem ad gratitudinem juridicam externe cogi.

(c) §. 2. J. de Donat L. 10. c. de revoe: don: Novel: 115. Cap. III. pr. L. 1.
C. de donat. quæ sub modo. L. 6. C. de post. §. 3.

(d) pr: Inst: de Nupt. L. 18. ff. de Nupt. l. 7. §. 1. ff. de Sponsal:

(e) §. 38. Inst. de action: L. 16, 17, 18, 19. ff. de re Judicat:

(f) L. 9. ff. de obsequ: par. & patr: prœst: l. 9. §. 1. ff. de operis libert.

§. VI.

Ingratitudo Iuridica ad delicta innominata est
referenda.

A 3

Ingrati-

In gratitudinem esse omissionem officiorum perfecte benefactori debitorum, sive a legibus præscriptorum §. IV. dictum est. Hinc concluditur, quod ingratus aliquid sponte non faciat, sed omittat, contra legum prohibitionem; & cum ingratiudini pœnas a legibus civilibus esse constitutas §. V. lit. c, audiverimus, sequitur quod illa obligationem ad pœnam a lege acceperit. Iam vero cum factum (quod subse etiam non factum comprehendit:) contra legum prohibitionem sponte susceptum, quod a lege obligationem ad pœnam accepit, delictum dicatur; (g) nullum est dubium, quin delictum sit ingratiudo juridica nominanda. Atque cum hujusmodi omissiones officiorum perfectorum ad ordinarias classes delictorum in jure non referantur, nullumque certum de jure nomen haheant proditum; ejusmodi autem delicta innominata appellantur (h), ingratiudinis hasce species delicta innominata esse appellanda, jacet in aprico.

(g) B. BOEHM: *Introductio in Jus Digestum*, Lib. 47. Tit. I. §. I.

(h) SIMON de delictis innominatis: *Theologia Iuris Civilis*: I. §. I.

§. VII.

Plures non dantur ingratiudinis species, quam in legibus præscriptæ.

In gratitudinem esse omissionem officiorum perfectorum erga benefactorem §. IV. expositum est. Perfecta igitur hic requiruntur officia, ad quæ quis cogi potest, quæque in legibus præcripta. Cum vero jus naturæ, nulla officia perfecta determinet, benefactori qua tali præstanda, sequitur, quod inspecie a jure Civili determinari debeant, cum alias contra ea agere non possit Beneficiarius. Si autem a jure civili determinari debent, ultra causas expressos, tanquam ingratus nemo in foro civili potest puniri: (i) Hinc quoque clarum est, ad condemnandum aliquem ex fon-

te

te ingratitudinis, potius interpretatione restrictiva, quam extensiva utendum esse, nec minus eum qui ingratitudinem allegat, eam debere probare, cum quilibet bonus presumatur, quod adeo verum, ut in Querela inofficiosi test: non querulanti incumbat probatio se gratum fuisse, sed potius hæredi, istum ingratum fuisse. Singulare enim est istud, quod fratres Exhæredati, probare debeant se non ingratos fuisse.

(i) Nov: 115. Cap. 3. pr. l. ult. C. de revoc: donat.

§. VIII.

Cilibet ingratitudinis speciei in legibus expressa constituta est poena.

Cum a Cicerone gratitudo virtus non solum maxima dicatur, sed etiam mater omnium virtutum, ex opposito merito, ingratitudo vitium vocanda est omnium turpium turpisissimum. Hinc Legibus nostris in summo quoque est odio. Hinc in illis tot mala consectaria, quibus ingrati adficiuntur, hinc ergo istæ, ingratitudinis poenæ cilibet speciei destinatae. Atque istarum quasdam variis in legibus dispersas colligere collectasque proponere, animum habuimus.

§. IX.

Revocatio Donationis est poena ingratitudinis:

Non loquimur hoc loco de Donatione mortis causa, quæ species est ultimæ voluntatis, indeque ad mortem usque mutabilis, & hinc optimo jure semper revocari potest sed potius de donatione inter vivos. Atque haec quidem primo intuitu videtur revocari nunquam posse, cum pactum sit, pacta vero servanda esse nos doceat ipsa natura. Quin? licet quondam apud Romanos pacta per se nullam habuerint obligationem, tamen id solum de pactis nudis valebat, pacta vero donationis legitima dicebantur, tanquam a legi-

•) o (•

legibus confirmata, (k) & ita utique obligabant. Atque hodie eo minus de pactorum donationis valore erit dubitandum, cum prorsus illam distinctionem inter pacta nuda & non nuda rejecerimus. Attamen hoc singulare donatio habet in jure civili, quod jurinaturae quandoque aliquid addere, quandoque detrahere scimus, quod nimur obcertas causas a donante revocari possit. (l) Est enim hoc a legislatore civili in odium ingratorum introductum, pariter ac in favorem benefactorum, scil: ut ne illi, qui res suas in alios contulerunt, ab his quandam injuriam patiantur vel jacturam. Nec iniqui aliquid habere videtur haec legum constitutio, cum seipsum indignum ejusmodi homo reddat beneficiis acceptis. Tantum vero abest, utquilibet causa, quæ donatori forsitan justa videretur, ad revocandum donatum sufficiat, ut potius quinque tantum in legibus inueniamus expressas. Huc pertinent injuria atrox cum realis tum verbalis, damnum, fidesfracta, infidiae vita. Neque hisce novas addere nobis licet, cum in poenaliibus & a communi regula deviantibus, potius restrictio sit, quam extensio adhibenda (m) Revocari autem Donatio tantum potest ab ipso donatore non ab ejus haeredibus, quia vindictam quandam haec revocatio spirat, quin? nec contra ingratii haeredes datur, cum obligatio ex delicto nascatur nisi a defuncto Lis jam fuerit contestata. Sed objicis, poenam revocationem hanc, quæ fieret a privato, dici haud posse, cum ad poenam requiratur, ut eam superior, inferat inferiori. Respondemus hanc poenam omnino a superiori scil: Legislatore esse constitutam & solum per privatos privatis infligi, deinde nos quidem ad ideam poenæ nunquam absolute necessarium putamus superiorem, cum alias poena conventionalis inter juris consultos satis nota, foret Non Ens. Sequimur potius Grotium, qui poenam definit, quod sit malum passionis, ob malum actionis.

(K) HEINECCII Elem: Jur: Civ. p. m. 356.

(L) §. 2. Just. de Don. I. ult, C. de revoc: doas]

(m)



(m) TREUTLERI select: Disp: Vol: II. Disp. 19. §. 7. lit. d in not:
BOSE in Diff. de revoc: don §. 33.

§. X.

Huc pertinet | Exhæredatio.

Summam esse parentes inter ac liberos vinculum naturæ ac proximitatis, summamque exinde inter se invicem oriri amorem facile quisque fatebitur. Quin? cum natura ipsa & experientia nos doceant, causam dignentem erga genitam, magis adfici, quam hanc erga illam, sive, ut alii loquuntur amorem descendere non ascendere, sane haud levis causa erit ista, quæ patrem commovebit, filium abs omnibus suis bonis excludere. Attamen quantus quantus sit amor parentum erga liberos, possunt tamen hi, neglectis omnibus vinculi naturalis officiis, ita contra naturam agere, ut pater quoque invitus, non possit non illos indignos, filiorum nomine & juribus putare. Vinculum vero naturale prorsus disolvere adlaborant omnemque humanitatem exnere, liberi, qui beneficiorum paternorum in totum obliviousentes, iis injuriam, tandem damnumque inferendi cupiditate flagrant. Hac certe ingratitudine nulla major, nullaque turpior inter homines excogitari potest. Expressit vero NOVELLA cit: (n) causas ingratitudinis, ob quas parentibus exhæredare liberos licet, quæque apud HOPPIUM cit: loc. (o) in versiculis legi possunt. Horrenda & maxime quidem horrenda videtur ista filii ingratitudo, cum illi, a quo, si a Deo discesseris, vitam accepit, acceptamque conservavit, manus vult inferre impias vel summis eum cumulare injuriis. Quid porro de eo tibi videtur, qui ex quo natus eum vita a deo, maximo hujus terræ quasi bono, privare pessime conatur, nonne pœni, propter talē insignem ingratitudinem, exhæredationis justa? imo justissima. Nec minus ingratissimum suum erga patrem

B

ani-

(m)

animum prodit, qui licet haud vocatus criminis eum capitalis accusat, excepto crimine perduellionis, ad quod nimirum manifestandum liberi a Legibus obligantur; qui porro patrem furiosum neglexit, captum non redemit hæc sane & reliqua, quæ adhuc suspersunt crimina, ingratissimi filii nobis effigiem ob oculos ponunt, ob illaque liberos exhæredari, leges juste permittunt, volunt, jubent. Est autem exhæredatio exclusio a Legitima in testamento verbis expressis facta. Legitima vero est portio hæreditatis, ex præscripto Legum certis personis relinquenda, ut 1, liberis, 2, parentibus, & 3, fratribus & sororibus. (p) Possunt autem non solum liberi, sed quoque parentes item fratres & sorores a legitima in pœnam ingratitudinis excludi NOVEL: cit: cap. 4. Non enim dubium est, quin et parentes a liberis possint beneficia accipere, quod exemplum IOSEPHI in sacris litteris extans, satis superque confirmat: hinc quoque non dubium, quin & parentes talibus se contaminare delictis, erga liberos possint, quæ de eorum ingratitudine satis magnum præbent testimonium. Leges ergo hanc quoque illorum iniquam ingratitudinem, coercere voluerunt, eique certam pœnam, quæ pari modo in Exhæredatione consistit, constituere. Attamen id libenter profiteor, posse liberos non tot tantumque violari a parentibus, quam hos ab illis, cum reverentiæ officia & gratitudinis, admodum inter utrosque sint imparia. Dantur ergo octo tantummodo causæ justæ exhæredationis parentum, illæque satis arduæ. Eadem quoque ingratitudo, est fundamentum exhæredationis fratum ac sororum: atque hic tres solum justæ causæ reperiuntur, insidiatio nimirum vitæ, famæ & bonorum. Ast, quod hic singulare occurrit, est, quod in regula fratres & sorores in testamento præteriri possint, nisi turpis quedam persona (q) sit instituta, tunc enim vel necessè instituendi sunt vel exhæredandi. Ex hactenus dictis apparet, quod ille, qui ejusmodi delictorum capax non est, non quoque sit exhære-

hæredandus. Cum enim ex hæredationis causa sit ingratitudo, hæc vero in ipsis delictis exercendis consistat, sequitur quod cessante causa sive ingratitudine, cessare etiam debeat effectus sive ex-hæredatio. Ad hujusmodi autem delicta necesse dolus requiritur §. VII. Ergo, qui doli incapax, quoque hæc delicta non committere, nec ex hæredari potest. Doli incapaces sine dubio sunt, posthumi, furiosi, mente capti etc. Ergo nec hi sunt Exhæredandi. (t)

(n) Novell: 115. Cap: 3.

(o) HOPPIUS in Exam: Inst. Jmp: Lib. II. Tit. 13. qu: 17.

(p) HEINECTUS in Elem: Iur: civ. Lib. II. Tit. 13. §. 527.

(q) L. 27. C. de inoff: test-

(r) L. 33. i. f. C: de inoff: test.

§. XI.

Amittebatur olim, ob ingratitudinem libertas.

Fuit quoque olim haud exigua ingratitudinis poena amissio libertatis, sive revocatio libertorum in servitutem, prout ingratitudo etiam, quam libertus vel manumissus committebat, non infimi ordinis erat. Libertatis enim donatione nullum beneficium majus esse poterat, cum ipsa in Legibus (S) res inestimabilis dicatur, ideoque ea nil gratius servo contingere poterat. (t) Quin? ex comparatione servitutis & libertatis hoc clarius apparabit. Etenim servus, qua talis non ad Classem personarum sed rerum pertinebat, omnibus ergo juribus personis competentibus carebat, belluae instar vendi, occidi, cruciari pro arbitrio poterat, nil proprii habebat, nil sibi, sed domino omnia acquirebat. Longe vero alia erat liberti sive manumissi ratio. Hic enim ex servo liber, ex re persona fiebat hinc inde omnibus juribus libertatis ac civitatis fruebatur: non amplius in eum Dominus jus vitæ & necis exercebat. e. s. p. Ex his, quantum fuerit manumissionis beneficium erga manumissum, quantumque fuerit non inc

benefactoris dignus, dijudicari potest. Imposuerunt ergo, Leges ejusmodi manumisso, ad manifestandum suum erga benefactorem gratum animum, obsequium, reverentiam, certasque operas Patrono præstandas. (u) Qui vero, deposita omni beneficiorum memoria, nec operas nec obsequium, nec reverentiam præstabat patrono, ille in pœnam ingratitudinis incurrebat. Hæc vero in eo consistebat, quod ejusmodi ingratum Patronus iterum in servitutem revocabat. (v) hinc omnia jura libertatis amittens, pristinum in statum recadebat, vel aliis pœnis adficiebatur, ut amissione partis bonorum, ictu fustium etc. (w) Equidem libertatis favor in jure alias summus est, adeo, ut non facile retractari possit; (x) verum majus tamen adhuc est odium ingratitudinis. Sed pœnam hanc ingratitudinis hodie cessare facile is confitebitur, qui ingratitudinem ejusmodi hodie committi non posse scit. Cessante enim hodie servitute Romana, cessare etiam debent manumissiones patroni, & operæ ipsi debitæ, ideoque quæ, ex illarum omissione oritur ingratitudo. Sunt potius nobis hodie homines propria, qui toto ut ajunt cœlo a servis Romanis differunt. Sed hodie quoque dubium non est, quin homo liber condemnatione ob crimen, ad servitutem possit transferri, (y)

(s) L. 106. ff. de R. J.

(t) L. 39. ff. de fidicom: libert.

(u) L. 9. ff: de off: par: & patron: præst: L. 9. §. I. de op: lib:

(v) §. I. Inst: de Capit. dem: L: un: C. de ingr: lib:

(w) L. 7. ff: i. f. de Jur: Patron:

(x) §. 6. Inst: Quib. ex causis manum: non lic:

(y) MEVIUS vom Zustand und Absförderung der Bauers-Leute Q: 2 nr: 100 sq.

§. XII.

Amittitur ob ingratitudinem erga Dominum directum,
Feudum pariter ac Emphyteusis.

Dominum a ICtis dividi solet in plenum & minus plenum. Il-
lud est facultas nonsolum de re disponendi, sed etiam omnem uti-
lita-

litarum percipiendi, eamque amissam vindicandi; hoc vero item
dividi potest in directum & utile, quia hic proprietas & utilitas dividuntur. Directum enim dicitur id, ubi quis sola gaudet
proprietate, Germ: Eigentum, utile, ubi quis solam habet utilitatem, cum jure vindicandi connexam. Ad Dominii minus pleni species pertinent feudum atque Emphyteusis. Atque in his
quoque singularis quedam ingratitudinis pena occurrit, ad nostrum scopum pertinens. Ordiamur a feudo, & quid in eo circa
ingratitudinem dicendum, paucis videamus. Diximus illud esse
minus pleni Dominii speciem, quid igitur verius, quam hic quoque dominium quoddam divisum reperiri. Præcipue igitur atten-
damus erit necesse, ad personas istas, inter quas in feudo est do-
minium divisum, quo facto, quid sit ipsum feudum clarus elu-
cebit. Cum Dominium hic divisum sit, alter Dominium dire-
ctum & propriatem **Lehn-Herrschafft, Grund und Ober-** Eigentum,
das Niede- Eigentum, alter dominium utile habet **das Nieder-** Eigentum,
das Nüzbare Nieder- Eigentum; illum dominum directum,
hunc dominum utilem, vel potius Vasallum nominamus. Feu-
dum igitur est concessio dominii utilis, super re aliqua sub condi-
tione mutuae fidelitatis. Quodsi ergo jam liberalitatem, fidem
ac protectionem, domini concedentis erga eum, cui conceditur
hoc dominium, aliquantulum perpendimus, facile illum benefac-
toris nomine & hunc beneficiarii dignum putabimus, Nonne enim
singulare in nos beneficium confert ille, qui commodis ex re pro-
pria percipiendis renuntiat, nobisque ea ad unum omnia percipiendi facultatem, imo rem istam mutandi & quodammodo dis-
ponendi, concedit? nonne benefactor ille erit noster, qui fidem,
protectionem, amoremque omnem nobis pollicetur, ut quædam solum fidelitatis officia, ad recognoscendam ejus in nos benig-
nitatem fidelitatem & amorem ei redhibeamus, ad quæ præ-
rea ipsa gratitudinis ratio nos jam obligaret? Nec inde miran-
B 3 dum

dum, cur olim feuda beneficia, & Vasalli beneficiarii dicti sunt; licet haud negem, esse adhuc discrimen inter feuda hodierna & beneficia illa veterum Germanorum. (z) Recte igitur Vasallus intuitu Domini directi beneficiarius est dicndus, cum in feudis datis tum in oblatis. Nam in his eandem securitatem, eandem fidem, eandem protectionem expectat Vasallus. Cum igitur quam maxime obligati teneantur Vasalli beneficiis Dominorum, turpius quid iis potest esse ingratitudine? Atque hanc ideo Leges insigni quadam pœna, nimirum feudi privatione adfecerunt. Ut autem eo clarius turpissima Vasalli ingrati effigies appareat, Leges certas species (§ VII.) insignis cujusdam ingratitudinis expresserunt, ultra quas non extendenda hæc pœna erit. (a) MÜLLER cit. loc. ita scribit: „Quæcumque causa jure feudali non est expressa, „nec sub expressa, ob rationis identitatem continetur, illa „quoque pro justa, ad pœnam privationis feudi, Vasallo infligen, „dam haberi non potest.“ Referuntur huc e. g. insignis feudi deterioratio, modo hic, secundum quorundam D. D. sententiam præcesserit admonitio, quæ & in Praxi solet observari; damnum vitæ, corporis incolumitati, bonis ac honori Domini directi factum. Item si quis servitia debita denegavit, Dominum in proelio deseruit, periculum imminens non avertit, aliaque plures causæ. (b) Hic quid æquius esse potest, quam ut ejusmodi Vasalli monstrum suo privetur beneficio. Sed num etiam, ob omnes has causas in Praxi feudis ingrati Vasalli priventur, alia est quæstio. Sunt enim sæpe Principes & Domini directi erga suos cives tam divina clementia, ut non nisi inviti, ad exequendas has in Legibus constitutas pœnas adducantur. Vidimus hucusque mente quasi contristati, ingratitudinis vitium Vasalli erga Dominum suum, & quomodo a Legibus puniri illud soleat. Prius autem quam in totum hancce materiam relinquimus, adhuc brevibus mentionem faciemus, num etiam Dominus possit esse erga su-

suum Vasallum ingratus? Ego quidem id mihi nullo modo conci-
 pere possum, si tantum ad ipsam ingratitudinis naturam attendere
 placet. (§ III) Ut enim ingratus quis dici possit, necesse benefac-
 tor requiritur. Iam vero Vasallus, qua Vasallus, loquimur enim
 solum de nexus feudali, ut benefactor Domini dici possit, tantum
 abest, ut potius hic illi primus beneficium concesserit, ob quod
 ut sit gratus & naturalis ratio & civilis postulat. Nuspianum igitur
 quoque in jure Longobardico Dominus directus nomine ingratii er-
 ga Vasallum venit, bene tamen hic erga illum. (c) Cum igitur
 Dominus ingratus erga Vasallum esse non possit, nec ingratii pœ-
 nam incurrere valet. Evidem numne, possit quandoque Domini-
 nus infidelis vel potius inconstans appellari, imo coram judice suo
 competente conveniri, si officia illa, quæ ei vi contractus feuda-
 lis incumbunt, negligit; si nec fidem nec fidelitatem Vasallo præ-
 stat, si pacta violat etc: alia est quæstio, quæ ad scopum nostrum
 haud pertinet cum de ingratitudine non vero infidelitate agimus.
 Progredimur nunc ad Emphyteusin, quæ quatenus pro jure jam con-
 stituto sumitur, est dominium utile alteri sub lege anni Canonis
 præstandi, in recognitionem dominii directi constitutum. Perso-
 nae præcipue hic notandæ sunt Dominus Emphyteuseos, qui con-
 cessio dominio utili, jam solam proprietatem habet, & Emphy-
 teuta, cui hocce dominium concessum est. Sed accuratius paulo
 intueamur Emphyteusis hujus naturam. Concedit Dominus, qui ple-
 nam alienandi habet facultatem, alteri, & quidem ut omnes fere
 volunt, in re immobili dominium utile, vel ut distinctius loquar, re-
 nuntiat ipse proprio suo commodo fructibusque ex re propria
 percipiendis, concedit alteri facultatem omnes fructus ex re ista
 percipiendi, imo illam mutandi, & quodammodo disponendi:
 hac tantum sibi pacto reservat, ut ad recognoscendam hancce li-
 beralitatem suam & simul proprietatem, quotannis signum ipsi
 gratitudinis offerat. Promittit hæc sancte alter ille, promittit, se
 in

in honorem, reverentiam, & recognitionem Domini directi, præstare annum Canonem velle. Sed quid de homine hocce ingratō tibi videtur? Iam incipit non stare promissis, obliviscens illorum officiorum, ad quæ jam sola gratitudo, & æquitas naturalis cum obligasset, nisi ipse adhuc fortiorem & perfectam suo pacto, reddidisset istam obligationem; incipit ille re sibi concessa insigniter abuti, atque ira abuti, ut periculum sit, ne mox mox intotum intereat; finiuntur tres & plures anni, quibus nunquam gratum animum testandi & promissa servandi causa, Canonem solvit; alienat ille tem, non requisito Domini directi, vel potius benefactoris sui consensu. Quid ergo de isto tenendum putas? nonne ingrati nomine atque poena dignus erit? immo dignissimus. Adfecerunt ergo Leges civiles, vitium ingratitudinis summo in odio habentes, perfidum hunc ac ingratum hominem singulari poena. Amittit enim ille, Canonem qui debitum non solvit, & quidem in Empytheuti seculari intra triennium, in Ecclesiastica intra biennium, qui ignorantे Domino rem vendidit, quique ipsam insigniter deteriorem reddidit, amittit ille inquam, suum dominium utile s: ipsam Empytheus in (d). Nec queri de hac amissione Empytheuta potest cum æquissima & justissima sit ipsa poena. Abjicere enim non solum naturalem videtur æquitatem, quæ ad gratitudinem summa ei dat motiva, immo potius bonum publicum negligit, cum id, quod ex perfecta obligatione præstare tenetur, haud implet. (e)

(z) G. I. BÖHMER in Progr: de Feudis ex veter: Francor: beneficiis enatis,

(a) 2. f. 32. it: MÜLLER in Usupr: dist: feud: Cap: 23. D: IX.

(b) WOLFFIL: Element: Iur: feud: Cap: 16.

(c) 2. f. 23. it. 2. f. 24.

(d) Auth: Qui rem- C. de S.S. Eccl: Nov: 120 c. 8. l. 2. C. de Jure Empyht.

(e) G. A. STRUVE in Diss: de eo quod justum est circa Empytheus: Sect: III. §. VI.

§. XIII.

Variæ adhuc ingratitudinis juridicæ poenæ.

Liberos ingratos a parentibus exheredari posse jam §. X. accepimus, sed alia adhuc in Jure exstat poena, quibus isti coercendi, nimirum alimentorum abnegatio,

abnegatio. Equidem naturali rationi jam satis est consentaneum, a parentibus ut alantur liberi (f); & leges civiles parentes ad alendos liberos perfecte adstringunt (g). Verum si suam naturam quasi exunt liberi, si obsequium aliqua officia parentibus debita respuant, si ingrat, ut paucis me expediata inveniuntur, tunc quoque solvitur perfecta hæc obligatio (h). Denegantur autem hoc casu solum alimenta civilia, quæ in sensu laxiori sumuntur, & sub se comprehendunt, non ea solum, quæ ad necessitatem vitæ, imo quæ ad utilitatem, quæque ad voluptatem pertinent, naturalia autem, sive, quæ ad ægre sustentandum vitam necessarie requiruntur, nemini debent denegari. Nondum a liberis ingratis discedere possumus, sed aliam poenam ob ingratitudinem iis injungunt Leges: Nimis permittrunt parentibus, liberos ejusmodi etiam invitatos emancipare (i). Et quis est, qui non hujus poenæ acerbitatem perspiciat, modo periculum, quod liberi illi emancipati incurunt, perpendat. Quin? etiam emancipati, ob ingratitudinem in patriam potestatem revocari possunt. Sed hodie hatum poenarum loco potius Ergastulis, (Germ. Zuchthäuser) arcenntur liberi ingrati; præcedere tamen solet Magistratus cognitio. Sic quoque ademtio Legatorum iis, qui indigni dicuntur, nil aliud est, quam poena ingratitudinis, causæ enim ob quas indigni habentur, nil nisi turpissimam ingratitudinem, erga eum, qui legavit indicant (k). Nec minus actor in Querel, in officios. testam, succumbens, ob ingratitudinem legata forsitan relicta amittit (l). Qui enim odiosum scit fundamentum hujus querelæ, facile cum ingratum fatebitur fuisse. Pari quoque modo, in favorem gratitudinis odiumque ingratitudinis, a legibus introductum est, quod ille, qui insigne ab altero habet beneficium, culpam levissimam præstare debeat, sive summum diligentia gra- dum (m).

(f) GROTTIUS de Jure B. & P. Lib. II. Cap. VII. §. IV.

(g) L. 5. §. 10. & §. 12. ff. de agnos. & al. liberis.

(h) L. 5. §. 11. ff. de agnos. & al. liber.

(i) L. un. C. de ingrat. liberis I. 132. ff. de Verb. Obl.

(k) Tot. titul. ff. de his, quæ ut indign. aufer.

(l) L. 8. §. 14. ff. de inoff. testam.

(m) L. 5. §. 2. ff. Commodat, l. contra.

§. XIV.

De poenis quibusdam Ingratitudinis erga Deum.

Evidem ad forum Juridicum tantummodo, ea, quæ justa dicuntur trahuntur. Quæ forum spectant internum s^c conscientiam ad forum pertinent Theologicum, ubi poenarum plenaria executio, ad forum extremit Judicii reservatur. Hinc nos multa in honesta, multa iniqua moribus ac seculis depravatis tenemur connivere, satis de cive contenti, qui neminem externe lœdit. Attamen cum & jurisprudentia nostra ultimo gloriam Dei intendere debeat, haud a scopo Legislatoris & Judicis humani videtur esse, gloriam summi Numinis tueri, remque publicam talibus purgare hominibus, qui omnem erga Deum pietatem deponentes aliis sunt pessimo exemplo. Hinc passim in Legibus variis invenimus poenas erga eos qui summi sui Benefactoris Majestatem ac sanctitatem, frivole & sponte verbis vel factis, quasi, ut ita loquar, immediate violare non abhorrent. Huc potissimum referendum videtur crimen istud læsa Majestatis divinæ s^c Blasphemiz diabolicum. Commititur ineffabile hoc crimen ab iis, qui malevolo animo blasphemata verba in Deum eructant, vel quæ ad conculcandum Dei honorem ejusque contemptum tendunt, licet verum Deum agnoscant (n). En atrocissimam ingratitudinem! En factum plus quam diabolicum! Eum, cui omnis debetur gloria, obtrectare velle, Eum, cuius nutu omnia geruntur, irridere, Eum, quem summum nominamus Benefactorem, loeo gratiatum actionis injuriis prosequi! tantum igitur abest, ut impunitum hocce quasi monstrum relinquant leges & Judicia humana, ut gravissimas potius in illud constituant poenas. In legibus citatis (o) ultimum supplicium hic constitutum est, & pro ratione circumstantiarum membrorum mutilatio. Imo speciales habemus in Megap. constitutas poenas (p) quæ pro ratione circumstantiarum etiam ad ultimum supplicium extenduntur. Huc referimus porro eos, qui perjuri dicuntur. Evidem non sequimur istam fere communem opinionem; perjurium istud tantum poenis humanis subjacere, quod in præjudicium tertii vel Reip. tendit; cum hoc solum sit additamentum doctorum supervacaneum. Concipere enim nobis casum non possumus, ubi quis Jurat, & ubi non simul tertii vel Reip. interest. Saltim enim in Juramento hoc semper interesse versatur, ut Reipubl. vel privato fides fiat, veritasque detegatur. Statuimus potius hoc crimen atrox per se jam poenis subjacere humanis, quoniam in crimen incidit læsa majestatis divinæ ejusque interspecies connumera-

tur.

tur (r). Sane perjurorum monstroram in Deum ingratitudinem esse, omnis fatebitur, qui modo ipsius peccati abominandi rationem habet. Hi enim sub conditione falsiloquii, ad vindictam divinam provocant, & nihilominus in ipsa Juramenti præstatione, nulla mentis cum lingua conformitas; veritatem celant, imo, cum se vera dicere juramento confirmant, audacter mentiuntur. Quid ergo hi committunt? In dubium vocant, O malitiam! Supremi judicis suique benefactoris justitiam & vindictam. Quid audent? testantur se contemnere Deum, metuere homines, testantnr, se adversus Deum audaces & timidos erga homines esse. Quomodo ergo peccant? primam Decalogi Tabulam violent, pietatem labefactant ac religionem, supremam istam legem salutis publica fideique stabilitatem, vacillantem efficiunt. Ast pena etiam in foro humano turpissimæ istorum ingratitudini est constituta; mox per fustium castigationem (q) mox per notationem infamiaj juriumpque privationem (s) & quæ sunt ejusmodi reliqua præsertim novissimis constitutionibus constituta (t). Hinc non sentimus cum iis, qui falsiter affirmant perjurium Jure Romano impunitum esse. Jure Criminali Carolino (u) summo quoque in odio perjurus habetur, ubi quomodo in causa civili & criminali puniri debeat, ostenditur, & præter cateras penas amputatio duorum digitorum, quibus juratum est, injungitur; imo in causa criminali eadem pena, qua alias falsiter accusatus fuisset, est adficiendus, quæ quidem pena quoque olim a summo omnium Imperante, populo Judaico fuit præscripta Deut. 19. v. 19. Discite hinc Mortales justitiam ac non temnere amplius Deum! Sed hæc haec tenus: dantur quidem adhuc variæ impietatis & ingratitudinis erga Deum coercitiones, quo sine dubio pertinent Sabbathi profanatores, qui etiam arbitrarie coerceri solent, (v) sed plura de hac materia differere verae ejus horror.

(n) B. BÖHMER. Intr. in Jus Dig. Lib. 48. §. 19. seq.

(o) Const. Car. Crim. Art. 106. R. Imp. de anno 1530 Tit. von Gotteslästerung §. 2. R. J. de 1512 Tit. 3 von Gotteslästerung §. 1. & de anno 1548 Tit. 1. von Gottesläster. §. 1.

(p) Ordinatio Polit. Meckl. Tit. von Gotteslästerung und Verachtung Gottes Worts.

(q) L. 13 §. 6. ff. de jurej. sive vol. sive nec. L. 21 & 22 ff. de dolo male

(r) WESENBECC. in Paratit. Lib. 48. Tit. 5. i. f. CARPOV. Defin. Eccl. Lib. 3; Tit. 6. Def. 80. nr. 8. 9. 10.

(s) L. 41. Cod. de Transact. L. 17. C. de Dignitatib. L. 13. C. de Testib.

(t) SETSERI celeber. Tr. de Juramentis Lib. I. Cap. 27. nr. 12.

(v) C. C. C. Art. 107 & Art. 108.

(v) Alleg. Ordin. Polit. Tit. I. it. Das Mecklenb. Herzogl. Edict de date 8 Dec.
1749.

§. XV.

De Aequitate Poenarum Ingratitudinis, qua proposita concluditur.

Atque hæc sufficient de pœnis ingratitudinis, quas in legibus reperimus constitutas. Satis habemus demonstrasse eam non pertinere ad Crimen sine pœna, de quo disputavit HARTLEBEN. Num vero etiam in praxi observentur, hac vice nolumus indagare. Certe ut fieret, optandum foret. Igitur, priusquam in totum hancce relinquimus materiam, pauca adhuc de æquitate & utilitate pœnarum ingratitudinis sumus morituri. Atque hic nobis sufficit ex B. GROTIo de Jure B & P. Lib. II. Cap. 20. §. 20. in not. sequentia, quæ rationem cur vitium ingrati punitum esse debeat, in se continent, transsumere: „Est ratio summa in rei utilitatem ad finem publicæ felicitatis consequendua necessaria; cum non minus ingrati animi vitium omnes morum labes continere aut trahere credatur, quam gratus animus omnium virtutum proventu ac necessitudine celebratur; est increscens hoc aut illo ævo hominum pravitas & ingratorum multitudo; qui in aliis discunt & experiuntur, quod paulo post adversus patriam exerceant: „Haec tenus ille. Hinc & utile & optandum foret, ut legislatores humani, in gloriam Dei & salutem Reip. officia gratitudinis fortiora pœnasque ingratitudinis crebriores & usitatores efficerent. Nullum enim habet dubium, quin & ea a lege præcipi possint, quæ virtus præcipit, licet temporum rerumque sit habenda ratio. Ac quo major est virtutis cuiusdam cum justitia conjunctio, eo clarius apparet legislatoris sapientia. Cæterum Tibi, Sapientissimum Numen, labore hoc finito immortales ago gratias, supplexque a te peto, ut ne me ingratum vel in Te vel mortales esse patiaris, nec in istorum me unquam socialitate esse, qui ingratitudine vera quid sit ignorantes, semper de ingratitudine proximi calumniantur,

T A N T U M!





Ke 2664

(X 2313679)





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-132825-p0032-2

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



10
60
Lüttich, Joh. Fr. Fr. Gottschald

MEDITATIO
MORALIS - JURIDICA

DE

INGRATITUDINE JURIDICA
EJUSQUE POENIS:

P 313.
von
Bestrafung
der
Juristischen Undankbarkeit.
He 2664

VIRGILIUS:

Discite justitiam moniti et
non temnere divos.

SVERINI, ANNO MDCCCLIV.

LITERIS BÆRENSPRUNGIANIS.

